

168

REVERENDISSIMO  
PATRI 13  
**CAJETANO**  
**A LAURINO,**  
**MINISTRO GENERALI**  
**ORDINIS**  
**SANCTI FRANCISCI**

*Galliarum Jurisdictionis Commissarij Familiae  
super Recollectos.*

PRO  
**RECOLLECTIS GALLIÆ.**  
CONTRA  
**REVERENDISSIMUM**  
**COMMISSARIUM**  
**GENERALEM FAMILIÆ.**

**SUMMARIUM.**

REVERENDISSIMO  
PATRI  
OMNIA TERRA  
OMNIA LAU LA  
MINISTERIA GENITRIALI  
ORDINIS  
SANTO FRANCISCI

Genitri alio nomine  
Ihesus Christus

PRO  
RECOLLEGIS GALLI  
CONTRA  
REVERENDISSIMUM  
COMMISARIUM  
GENERALEM FARMACI  
JANUARII

# SUMMARIUM.

## R<sup>ME.</sup> PATER.

**P**RO fælici, ac prospero vestrorum Galliæ Recollectorum gubernio, sa. me. Clemens VIII. per suam Constitutionem *Pro injuncti nobis* datam 26. Martij 1601. ad eosdem extendit Bullam pro Reformatis Italiæ à Gregorio XIII. editam, in qua inter alia, habetur, quod Minister Generalis Fratrum de Observantia TANTUM, minimè autem Provincialis, sive alij dictorum Fratrum de Observantia Prælati, aut Commissarij, in dictos Fratres Reformatos, sive illorum custodias jurisdictionem, visitandique, & corrugandi facultatem habeat & hoc cum decreto, & clausula irritante, cum expressa derogatione Bullæ Leonis X. unionis nuncupatae, & sub pœnis excommunicationis latæ sententiæ ipso facto incurrendæ ab omnibus, qui aliquid in contrarium attentare ausi fuerint. Licet autem dicta Gregorij XIII. Bulla respectivè ad Italiæ Reformatos varias passa fuerit mutationes; in Gallia tamen, ubi executio ipsius, etiam instantे universo Regni Clero, à Christianissimis Regibus fuit præcepta, non solùm nullæ omnino subjacuit mutationi, sed à Paulo V., Gregorio XV. Urbano VIII. , & aliis Summis Pontificibus toties fuit renovata, & confirmata, quoties aliquid in contrarium fuit attentatum; unde omnes Recollectorum Galliæ Provinciæ inconcusse, & inalterabiliter à solis Seraphici Patris Nostri Successoribus gubernatæ fuerunt, prout hodie à P.V. Reverendissima gubernari gloriantur; nec ullum alium unquam de Corpore Observantiarum Superiorem agnoverunt, sicuti de facto agnoscere non possunt.

Pacifice, ac quiete sic gubernabantur Recollecti Galliæ, cum ex improviso Reverendissimus Pater Joannes de la Torre in Vice-Commissarium electus litteras ad eos transmisit circulares, quibus de eadem sua electione eos monebat, ac Ministris Provincialibus præcipiebat, ut quilibet in sua respectivè Provincia easdem litteras publicari faceret, eumque de publicatione certioraret. Hæc autem mandata spreverunt Galliæ Provinciales, ut potè nulla, & inanis, ac directè opposita legibus Pontificiis, simul, & Regiis, nec non auctoritati Paternitatis V. Reverendissimæ, cui soli, ut dictum est, obedire gloriantur; cumque R. P. Philippus Ripert, tunc temporis Provinciæ vestræ Recollectorum Sancti Bernardini nuncupatae

Num. i:  
Recursus factus  
contra Reveren-  
dissimum Patrem  
Torre.

Provincialis, quo ductus motivo nescio, in quibusdam Provinciæ Conventibus dictas Litteras publicari fecisset; celebrato die 9. Septembris 1741. Provinciæ Capitulo, ibique ab omnibus patribus re examinata, unanimiter fuit resolutum ac determinatum, dictam litterarum publicationem pro non facta, aut nulliter facta habendam esse; & Familiæ Commissarios à Provincia pro Superioribus nullo modo recognosci; sed ipsam immediate Reverendissimis Ministris Generalibus Ordinis subjectam semper fuisse, esse, & fore.

His non obstantibus (quis talia putaret?) emanarunt ab eodem Reverendissimo la Torre Litteræ Patentes sub die 24. Novemb. 1742., quibus moderno ejusdem Provinciæ Ministro licentiam concedebat, intermedium anticipandi Congregationem; sed Majestas sua Christianissima, audito quod P. V. Reverendissima die 19. ejusdem mensis Novembris eamdem denegaverat licentiam, dicto Provinciali inhibuit ejusdem Congregationis celebrationem. Nec tamen quievit idem Reverendissimus; sed varias iterum Recollectorum Provinciis transmisit circulares litteras, cum mandato pariter easdem publicandi; facultates transmisit quibusdam Recollectis, ut ad Patres Cordigeros transitum facerent; & præsertim die 20. Julij 1742. Patri Alexio Monturus Provinciæ Vestræ Sanctissimi Sacramenti Recollectorum, ut in Magna Franciæ Provincia incorporaretur; quæ res eo devenit, ut Minister Provincialis ejusdem Provinciæ Sanctissimi Sacramenti præfatum Patrem Monturus Apostolam, & excommunicatum declaraverit, & ut talem in tota Provincia publicaverit; & tandem apud Patrem Provincialem Magnæ Provinciæ Franciæ institerit, ut præfatum Patrem Monturus suum Religiosum sibi restitueret, prout reipsa fecit.

Videat P. V. Reverendissima, quot perturbationes, & inquietudines Vestræ Recollectorum Galliæ Provinciis causent attentata à Reverendissimo Patre la Torre; quotque in posterum majores etiam oriri valeant, nisi promptum, & efficax afferatur remedium.

Humillime igitur P. V. Reverendissimam suplicat Fr. Marcus Antonius Gravois pro eisdem Recollectis Diffinitor Generalis Ordinis, nomine tūm proprio, tūm & plurium Provincialium, ac Patrum Recollectorum Galliæ, quorum missivas litteras super eodem negotio præ manibus habet; ut dignetur prohibere Reverendissimo Patri de la Torre, & aliis Familiæ Commissariis pro tempore existentibus, ne Recollectos Galliæ, eorumque Provincias perturbare audeant, ullumque jurisdictionis actum super illos exercere, sub pœnis in præfatis Bullis contentis irremissibiliter, ac ip-

so facto incurriendis; & pariter recollectis Galliæ sub iisdem pœnis inhibere, ne ad eosdem Commissarios ullum recursum facere, ac habere, aut ipsorum mandatis obedire audeant.

Reverendissime P. N. mi amantissime, & colendissime Pater = Litteras V. Reverendissimæ P. qua teneor veneratione accepi, simulque transumptum Memorialis, seù Querimoniam R. A. P. Diffinitoris Generalis Gravois, in quo ab omnibus per ipsum allegatis facillimo negotio puto me expediendum apud V. Reverendissimam P., qui, uti fidentissime spero, cum sit Judex interpellatus, erit æquissimus Advocatus.

Conqueritur R. A. P. Gravois de eo, quod Provincialibus Recollectorum Galliæ miserim Patentales Conventibus intimandas; in quo nihil novi attentavi, nihilque aliud gessi, nisi quod in Regestis, & formulariis Officij mei adnotatur, & quod gestum ex ipsis constat à Reverendissimis Commissariis Generalibus Prædecessoribus; & juste quidem, cum omnes prædictæ Provinciae Commissario Generali hujus familiæ sint immediate subiectæ, sicuti alterius familiæ ipsius Commissario Generali.

Nec obstat Privilegium pro Reformatis Italiæ à Gregorio XIII. concessum, & à Clemente VIII. anno 1601. ad Recollectos Galliæ extensem; quia dato, quod exemptionem à Jurisdictione Commissarij Generalis Familiæ continet; dum talis extensio fuit concessa, jam prædictum Privilegium, quoad præsens institutum, erat limitatum ab ipso Clemente VIII. 2. Octobris 1600., declarante Jurisdictionem Commissarij Generalis familiæ supra Reformatos in Bulla incip. *Cupientes*; cum ergo extensio Privilegiorum pro Reformatis Italiæ facta fuerit ad Recollectos Galliæ an. 1601., & tunc temporis Italiæ Reformati nullum haberent Privilegium, quo eximerentur ab obedientia Commissarij Generalis, (nam allegatum Gregori XIII. per prædictam Constitutionem fuerat ablatum) nullum tale Privilegium Recollectis Galliæ collatum fuisse dignoscitur. Videlicet R. A. P. Fr. Thomas Montalvo Ex-Diffinitor Generalis in novissima Glossa Statutorum tom. 2. cap. 21. art. 1. per totum, ubi solidissime, ut asselet, omnia à R. A. P. Gravois allegata, quasi prævisa dissolvit.

Dato tamen, & non concesso, præfato, & prætenso Privilegio, illi cesserunt PP. Reformati, seù Recollecti Galliæ, ut constat (aliis omissis) ex Statutis Segoviensis ann. 1621. cap. 7., & ex Vallisoletanis anno 1670. tit. *Pro Natione Gallica* numero 4. ubi ita Statutum = *Quoniam omnes Galliarum Provinciæ tam confederatae, seù*

Num. 2.  
Responsio Reve-  
rendissimi P. de  
la Torre.

maiores, quam Observantium, & Recollectorum in praesenti Capitulo declararunt etiam scripto se admittere, velut suum legitimum Prælatum, Commissarium Generalem Cismontanæ Familiæ secundum Bullam Unionis electum; propterea dictis Provinciis confederatis cum effectu datus est unus Diffinitor Generalis juxta statuta Generalia Barchinonensia, alias Observantibus, & tertius Recollectis = Et cum effectu sub predicta conditione ex tunc nunc usque semper unus conceditur Diffinitor Generalis, sub qua ad præsens conditione adest Diffinitor Generalis pro eisdem Recollectis R. A. P. Gravois; mirum certe, quod ipse sub præfata conditione Diffinitor Generalis existens Jurisdictionem Commissarij Generalis erga prædictas Provincias, suo & illarum nomine, tam intra, quam extra Ordinem impugnet!

Tandem pro ipsa Jurisdictione, ejusque exercitio stat omnium Commissariorum Generalium hujus familiæ praxis ab anno 1670. præcipue usque ad præsentem, ut constat ex ipsorum Regestis in Archivio Generali hujus vestri Conventus, quæ coram illius gravissimis Patribus fuere visa, & examinata; in eis adnotatae inventiuntur litteræ Patentales intimatae omnibus Conventibus Provincialium Recollectorum Galliæ, quam speciales pro visitatione ipsorum, convocatione ad Capitula, ipsorum celebratione, & præsidencia; tum Provincialibus pro celebrandis Capitulis intermediis, tum pro incorporatione FF. Recollectorum in Provinciis Observantium; & in facti contingentia, dum ego essem Minister Provincialis Provinciæ Cantabriæ, litteras accepi à Reverendissimo à Soto tunc Commissario Generali Familiæ, pro incorporando in dicta Provincia quodam Concionatore Provinciæ Immaculatae Conceptionis Aquitaniæ Recollectorum, & de facto fuit incorporatus. Ex quibus & aliis à me consulto prætermisis, ne molestior siam V. Reverendissimæ P., constat me nihil novi, sed juxta jus, & praxim omnium Reverendissimorum Prædecessorum, Provinciis ad me recurrentibus pro munere providisse.

Patres Diffinitorij Provinciæ Sancti Bernardini à me postulare more solito facultatem pro celebrando Capitulo intermedio, pro quo litteras misi Patentales, pro quibus impediendis, ne executio mandarentur, recursum habuit, & fecit R. A. P. Gravois ad Curiam Parisiensem (sicut mihi testantur iidem Patres per suas litteras apud me existentes, & ab ipsis subscriptas) & propter rationes forsan V. Reverendissimæ P. propositas obtinuit; sed ad quid talis recursus ad Tribunal Seculare, dum, si ratio vera, & rationabilis causa adesset, sufficeret recurrere ad V. Reverendissimam P., qui uti Supremus Ordinis Prælatus, provideret?

Ipsi.

Ipsimet Patres, & alij aliarum Provinciarum tam Recollectorum, quām Observantium valde conqueruntur de tali recursu, de turbatione Provinciæ, & de aliis, quæ omitto propter antiquam viri amicitiam.

Quoad litteras pro incorporatione Fratris Recollecti in Provinciam Observantiæ sub prævio hujus consensu; nescio omnino, ingenuè fateor, quid criminis in illis invenerit R. A. P. Gravois; alias idem sæpè commisissent adeò celebres, & venerandi Commisarij Generales à Samaniego, à Sarzosa, & à Soto, ut ex eorum præfatis Regestis constat. Ego pro certissimo habeo nullas similes à me expeditas, adhuc propositis urgentibus motivis, nisi sub conditione consensus utriusque Provinciæ, vel saltem *ad quam*. Hæ sunt, Reverendissime Pater, rationes quæ pro nunc mihi occurruunt, sicuti utrique Reverendissimo Patri, & aliis gravissimis in hoc vestro Conventu à me consultis sub paternali correctione V. Reverendissimæ P. cui in omnibus semper subditus, & subjectus humillime petens Seraphicam benedictionem, &c. in hoc vestro Conventu Matritensi 17. Novembris 1743. V. Reverendissimæ P. humillimus filius, & obsequientissimus subditus Fr. Joannes de la Torre.

Gregorius XIII. Ad perpetuam rei mémoriam. Cum illius vicem, &c. Nos igitur eorumdem Fratrum Reformatorum nuncupatorum quieti, & indemnati, &c. consulere volentes, Ven. Fatribus nostris S. R. E. Cardinalibus super causis Episcoporum, & Regularium deputatis, atque etiam ejusdem Ordinis Protectori causam hujusmodi audiendam, & cognoscendam commisimus, qui remature discussa, partibus auditis, &c. Numer. 4. itaque volumus, & Apostolica Auctoritate statuimus ut Novitijs Reformatorum præsentes, & futuri annum continuum inter dictos Reformatos agant ad deliberandum an inter Reformatos prædictos permanere velint à die ingressus in Custodias, seu loca Reformatorum; si verò in familia Fratrum de Observantia professionem emiserint, & ad Reformatos de Strictiori Observantia transierint, vel in futurum transfer voluerint, habeant itidem annum continuum à die ingressus ad deliberandum, an remanere in hac Strictiori Observantia voluerint.

Num. 5. Post præsentium autem nostrarum publicationem, & dictum annum completum declaramus, prædictos professos extra Reformatos, haberi ut professos inter Custodias Reformatorum, nec ipfos, sicut nec alios inter easdem Custodias professos ab iis, sine speciali Apostolicae Sedis licentia, recedere posse sine Apostasiæ nota.

A4

Num.

Num. 3:  
Constitutio Gre-  
gorij XIII. ad  
Recollectos Gal-  
liae per Clemen-  
tem VIII. exten-  
sa, & postea à  
variis Pontifici-  
bus confirmata.

A  
Sub pœna Apo-  
stasiæ nō possunt  
Reformati dis-  
cedere à Refor-  
matione sine Se-  
dis Apostolicae li-  
centia.

Num. 6. Liberum verò sit eidem Custodi , etiam nullo Ministeri Provincialis , vel aliorum suorum Prelatorum habito , vel requisito consensu , vel licentia , nulloque cum iisdem verbō facto , per se , vel alium juxta Tridentini Concilij formam , atque Ordinis consuetudinem Novitios , necnon & Fratres Ordinis prædicti de Observantia , tam propriæ , quām alienæ Provinciae reformandos , ad Ordinem , ac Professionem , & Reformationem pro sua Custodia , absque ullo penitus impedimento , de consilio tamen & consensu Fratrum illius loci , pro quo recipiuntur admittere.

B  
*Solus Minister Generalis de Corpore Observantiae est Superior ipsorum.*

Num. 8. Minister Generalis Fratrum de Observantia tantum , minime autem Provincialis , sive alij dictorum Fratrum de Observantia Prælati , aut Commissarij , in dictos Reformatos , sive illorum Custodias jurisdictionem , visitandique , & corrigendi facultatem sive per seipsum , sive per ejusdem Ordinis , etiam alienæ Custodiarum Reformatos ipsos habeat ; minime tamen possit aliquem ad Prælationem , vel officia etiam in Custodia promovere ... nec etiam de propria eorum custodia , domibusque & locis , nisi pro aliarum custodiarum dicta visitatione dictos Reformatos , vel eorum aliquem amovere , extrahere , mittere , collocare , vel retinere , nisi prout in singularum custodiarum Capitulis , vel ab ipso Custode fuerit ordinatum.

Num. 15. Volumus tamen quod si in Capitulis Generalibus Constitutiones aliquæ , vel Decreta præsentibus litteris , & huic Observantiae strictiori non contraria , sed quæ magis ei favere videantur , ordinata fuerint , Reformati ea observare omnino teneantur.

Num. 18. Decernentes præsentes litteras nullo unquam tempore de subreptionis , vel obreptionis vitio , seu intentionis nostræ defectu , etiam ex eo quod omnes interesse habentes , vel Fratres de Observantia prædicti , aut quicumque allii vocati non fuerint notari , argui , seu impugnari , aut sub quibusvis revocationibus , suspensionibus , limitationibus , aut aliis contrariis dispositionibus , etiam ab eadem Sede Apostolica emanatis , & imposterum emanandis comprehendendi posse ; sed illas pro omnibus , & singulis prædictorum Reformatorum Custodiis , Custodibus , & Fratribus Reformatis præsentibus , & futuris semper validas , & efficaces existere , suosque plenarios , & integros effectus sortiri debere.

D  
*Tollitur etiam Cardinalibus facultas aliter judicandi ; & ir-*

Num. 19. Sicque per quoscumque Judices , & Commissarios quavis auctoritate fungentes , etiam causarum Palatij Apostolici Auditores , ac S. R. E. Cardinales , sublata eis , & eorum cuilibet quavis aliter judicandi , & interpretandi facultate , & auctoritate , ubique ju-

dicari, ac definiri debere; necnon irritum, & inane, si secus super his à quoquam quabis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Districtius inhibentes Generali, & Provincialibus Ministris dictorum Fratrum de Observantia nuncupatorum, & eorum Commissariis nunc & in perpetuum pro tempore existentibus, & illorum Generalibus, & provincialibus Capitulis, personisque quibuscumque in illis congregandis, ac omnibus & quibuscumque quos præmissa concernunt, aut in posterum quomodolibet concernent; & quibusvis aliis cujuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, & conditionis fuerint, ne sub indignationis nostræ, & excommunicationis latæ sententiæ eo ipso, si contrafecerint, incurriendæ pœnis, Reformatos prædictos, illorumque Custodias, Custodes, Discretos, Officiales, & Fratres, aut alios quoscumque quos præmissa quomodolibet concernunt, aut in posterum concernent; quominus prædictis omnibus, & singulis pacificè fruantur, seu prædicta omnia, & singula suum debitum sortiantur effectum, impedire, retardare, aut perturbare audeant, vel præsumant.

Num. 21. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis præsertim fæl. rec. Leones X. predecessoris nostri super unione omnium FF. Minorum de Observantia, aliisque Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis quibuscumque... Datum Romæ die 3. Junij 1579.

Gubernatis tom. 2. pag. 401. num. 254. Accessit tandem Regum, & Populorum applausus ad hujusc Recollectionis ampliationem unanimi voto concurrentium. Henricus IV. Galliarum Rex ingenij omnium capacissimi de Recollectorum statu, sincera conversatione, vita exemplari, atque de singularissimo suorum ab ipsis profectu jam in seipso plane securus, eorum non Protectorem, sed amantissimum Patrem, tūm privatim, tūm publicè agere voluit; extructisque plurimis ad eorum extensionem cœnobiis, datis etiam Regiis litteris authenticè expeditis summa efficacia, & affectu plenis sub die 18. Julij 1601., sub 26. Octobris 1602., sub 28. Jannuarij 1603., atque sub 27. Junij 1606. Omnibus suis subditis alte declaravit, sese litteras Apostolicas ad Recollectorum favorem recepisse, vidisse, & acceptasse, proinde integrum plenamque illarum executionem sub gravissimis pœnis indicens, molestiam cujusvis generis à quocumque eis inferri sub indignationis suæ interminatione prohibuit; quin & illorum protectionem etiam armata manus contra adversarios quoscumque sive Sæculares, sive Regulares omnibus, vel supremis, vel subalternis, vel infimis in toto suo Reg-

ritum, & innane declaratur quod cumque in contrarium factum fuerit.

E

Prohibitio Generalibus, Capitulis Generalibus, & cuilibet alteri aliquid in contrarium faciendi, sub pena excommunicationis latæ sententiæ eo ipso incurriendæ.

F

Revocatio Bullæ Leonis X.

Num. 4.

Executio Bullarum Apostolicarum præcipitur à Rege, & à Regiis Consiliis.

nq

no officialibus alte commendavit. His etiam non contentus, ne ex privato loqui videretur affectu, Gallici Cleri universalem confessum voluit Parisiis congregatum, ut de Recollectorum stabili admissione, atque ampliatione, necnon de Conventibus per Observantes eisdem assignandis majori auctoritate tractaretur; cuius congressus unanimi consensu ad Recollectorum favorem conclamante, datis Rex gravissimis litteris ad Burdegalense, ad Tolosanum, & ad reliqua Galliarum Parlamenta graviter indixit, ut piissimum opus ab universis suis officialibus plena sinceritate protegeretur, & vivido conatu promoveretur.

Num. 5.

Clemens VIII.  
Tribuit Comm.  
Generali Familiæ Joan. Franc.  
Maculino auctoritatem ut vice, & loco Ministri Generalis, durante absentia ejusdem PP. Reformatos gubernet.

Clemens P. VIII. Dilecto filio fratri Joanni Francisco Maculino Ord. Fr. M. S. Francisci de Observantia nuncup. Commissario Generali Cismontano = Cupientes Regimini, & gubernio Reformatorum S. Francisci de Observantia oportune prospicere, ac de tua pietate, prudentia, Religionis zelo, ac in gubernando experientia plurimum in Domino confisi. Tibi durante officio tuo Commissarij Generalis ejusdem Ordinis, & absentia Ministri Generalis dicti tui Ordinis, ut vice ac loco ipsius prædictum Ordinem universum Fratrum Reformatorum cum eadem auctoritate, Superioritate, jurisdictione, & facultatibus Ministro Generali totius Ordinis S. Francisci de Observantia competentibus, & competituris, in spiritualibus, & temporalibus regendi, & gubernandi plenam, & liberam auctoritatem, & facultatem tribuimus, & impertimur. . . . 2. Octobris 1600.

Statuta Segovien. 1621. cap. 7. tit. de Diffinitoribus Generalibus:

Unus verò ex quatuor Provinciis Reformatorum in Gallia, quæ sunt sequentes, videlicet Provincia Franciæ, Provincia Turoniæ, Provincia S. Bonaventuræ, Provincia Aquitaniæ recentioris, etsi quæ sint illis postea aggregatae; nam ex gratia speciali, & quia Provinciæ supradictæ receperunt Commissarium Generale secundum Bullam Unionis electum, concessum est illis, Diffinitorem unum in comitiis Generalibus habere.

Ibidem = Alius Diffinitor eligatur ex quinque Provinciis de familia, quæ sunt in Gallia, & sunt sequentes videlicet Provincia Franciæ Parisiensis, Provincia Turoniæ Pictaviensis, Provincia Aquitaniæ, Provincia Britanniæ, Provincia S. Ludovici, & aliæ cum illis conjunctæ.

Statuta Romana anni 1625. ab Urbano VIII. in forma specifica Confirmata tit. pro Gallis = Eodem jure, ac Privilegio gaudeant Recollectorum Provinciæ in Gallia existentes, quo duæ aliæ ejusdem nationis fami-

Num. 6.

In Congregatio-  
ne Segoviensi  
conceditur dif-  
finitor Genera-  
lis quatuor Pro-  
vinciis confede-  
ratis, seu ma-  
joribus, quæ  
etiam vocantur  
Reformatæ.

Vnus pariter  
Provinciis Mi-  
noribus, quæ  
vulgo de fami-  
lia nuncupantur.

Num. 7.

In Capitulo Ro-  
mano 1625. con-  
ceditur idem jus  
Recollectis Gal-  
liae.

miliæ, ut videlicet suo ordine, & tempore successivo Diffinitorem  
habeant Generalem.

*Historia Chronologica Provinciæ Parisiensis Recollectorum*, typis edi-  
ta anno 1677. pag. 171. = Appellatio ad Sanctam Sedem interpo-  
sita à R. P. Antonio Paulat Pro-Ministro Provinciæ Arthesiæ, &  
Procuratore Provinciæ Parisiensis sub die 24. Maij 1670., cum  
protestatione nullitatis eorum omnium, quæ in Capitulo Genera-  
li Vallisoletano fieri possent contra nostram Recollectionem, & ju-  
ra dictæ Provinciæ Parisiensis, quæ pro dicto Capitulo Generali ci-  
tata non fuerat.

*Ibidem* = Decretum Consilij Status Regis datum Sancto Ger-  
mano 18. Julij 1670. quo sua Majestas præcipit R. P. Hyacinto Le-  
feure Provinciæ Parisiensis Vicario Provinciali, ut infra sex menses  
judicium Romæ sollicitet supra appellationes interpositas contra  
determinata, & decreta in Capitulo Generali Vallisoletano; jubet  
interim nihil innovari, usquequo à Sua Sanctitate aliter decisum  
fuerit.

*Manuscriptum in Archivio nostræ Procuræ servatum, incipiens Re-*  
*verendissimo* = §. hic seriem = illam autem appellationem prole-  
qui, & sententiam favorabilem obtinere nobis non licuit, quia ad  
illam judicandam prius erant Commissarij in Partes Galliæ depu-  
tandi. Secundo, nullo modo necesse, siquidem nihil virtute talis  
Decreti adversus nostra jura attentatum est; & in eadem dereli-  
cti sumus Regiminis forma, quam ab antiquis acceperamus.

Clemens X. = Sacrosanti Apostolatus, &c. Exponi siquidem no-  
bis nuper fecit dilectus filius Franciscus Maria à Bononia Procu-  
rator Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Ob-  
servantia nuncupatorum, quod in Capitulo Generali dicti Ordinis  
Vallisoleti novissime celebrato, ob varias, gravissimasque causas,  
à venerabili Fratre Federico Patriarca Alexandrino tunc temporis  
nostro, & Apostolicæ Sedis in Regnis Hispaniarum Nuncio, qui di-  
cto Capitulo præsidebat, approbatas, decretum fuit multiplican-  
dos esse Diffinitores Generales in utraque familia ejusdem Ordini... Cum diversis declarationibus, & ordinationibus, prout ubi-  
rius continetur in Decreto Capituli Generalis hujusmodi desuper  
emanato tenoris qui sequitur, videlicet: Capitulum Generale ob  
plurima, & quidem gravia motiva censuit, & decrevit multiplican-  
dos esse Diffinitores Generales in utraque familia, & Cismontanæ  
addendos quatuor: Unum, scilicet, pro Excalceatis Hispaniæ: Alium  
pro Gallia: Tertium pro Lusitania: Ejusque Provinciis: Et quar-

tum

Num. 8.  
Appellatio ad S.  
Sedem & pro-  
testatio nullita-  
tis eorum omniū  
quæ in Capitu-  
lo Vallisoleta-  
no 1670. in præ-  
judicium Recol-  
lectorum fieri  
potuissent.

A

Decretum Re-  
gium prohibens  
quamcumque in  
Gallia innova-  
tionem, usque  
dum à S. Sede  
aliter decisum  
fuerit

B

Virtute Decret  
Vallisoletani  
nihil in Gallia  
fuit innovatum.

Num. 9.

Summus Pon-  
tifex approbat  
multiplicatio-  
nen Diffinitorum  
Generalium in  
Capitulo Valli-  
solletano deter-  
minatam, sed  
nulla facta men-  
tione Jurisdictionis Commis-  
sarij Familia su-  
per Galliam.

tum pro Provinciis Tertiis Ordinis tam Galliæ, quam Hispaniæ, & Lusitaniæ, servata inter ipsas alternativa quoad hujusmodi Diffinitem Generalem, ea tamen lege, quod vocales Tertiij Ordinis Nationis Gallicanæ ad Comitia Generalia deinceps accedant. Ultramontanæ verò familiæ addendos tres, &c. cum autem sicut eadem expositio subjungebat decretum hujusmodi paci, & Religiosæ tranquillitati inter fratres tot Nationum quibus Ordo prædictus constat maximè conducibile existat... Nos... præinsertum Capituli Generalis decretum auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus.... Datum Romæ 26. Novembris 1670.

*Statuta Recollectorum typis edita an. 1686. pag. 210. Ex Bulla*

*Clementis VIII. pro nostra Recollectione emanata, Provinciæ nostræ Soli Reverendissimo Patri Ministro Generali subduntur, & nullo modo Commissariis Generalibus secundum Bullam Unionis electis.*

*Alia similia Statuta typis edita anno 1698. = pag. 92. = Provinciæ nostræ Recollectorum in Gallia nulli Superiori subduntur, nisi soli Ministro Generali, & nullo modo Commissariis Generalibus electis secundum Bullam Unionis.*

*Ibidem in fine = Decretum Consilij Status Regis confirmans hæc Statuta = Ludovicus Dei gratia Rex Franciæ, &c. de consilio nostri Consilij, à quo dicta Statuta fuerunt lecta... eadem Statuta auctoritate nostra Regia laudavimus, approbavimus, confirmavimus, & per præsentes propria manu subscriptas laudamus, approbamus, & confirmamus; volumus & nobis placet, quod plenum, & integrum sortiantur effectum, &c. datum mense Augusti anno 1697.*

*Ego infra scriptus Secretarius Generalis Curiæ Discalceatorum, & Recollectorum testor in nostræ Procuræ Generalis Archivio sequentia reperiiri propriis oculis à me lecta, & hic adnotata.*

*Primo adest supplex libellus incipiens = Reverendissimo Nostro Laurentio à S. Laurentio, &c. pro immediata Recollectorum Regni Franciæ subjectione soli Ministro Generali supplex libellus = & desinens = Favet Reverendissima Vestra Parternitas nostræ quieti; & prolatæ jam ab eminentiori suo judicio sententiæ, qua censuit nihil innovandum, immobiliter adhæreat. Pag. 2. ejusdem Scripturæ habetur = Porro tribus fundamentis hæc immediata Recollectorum Soli Ministro Generali innitur subjectio, nempè Summorum Pontificum Constitutionibus, Regum Franciæ Edictis, & praxi continua, nec interrupta. Pag. 16. 17. & 18. habetur elenches plurium visitatorum, qui super Recollectorum Galliæ Provincias fuerunt deputati à Reverendissimis PP. Rhini de*

Po-

Num. 10.  
Independentia à  
Commissariis re-  
peritur in Sta-  
tutis Recollecto-  
rum anno 1686.  
editis.

A  
Idem habetur in  
aliis statutis an-  
no 1693. editis.

B  
Præcipit Rex  
omnimodam exe-  
cutionem dicto-  
rum statutorum.

Num. 11.  
Plura reperiun-  
tur in Archivio  
SS. 40. Marty-  
rum nostram in-  
dependentiam à  
Commissariis fa-  
miliae probantia  
ab ann. 1670.  
usque ad 1723.

Politio, Petro Sormano, & Bonaventura Poerio annis videlicet 1671.  
1674. 1683. 1686. 1687. 1694. 1695. 1697. 1698. & 1700.

Secundo adest in eodem Archivio aliis supplex libellus Idiomate Gallico exaratus, incipiens = *Memoire sur la demande que font les Recolets de estre maintenus dans le etat ou ils se trouvent depuis leur etablissement en france, Scavoir de estre Soumis uniquement à l' autorité du General de l' Ordre de Saint Francois, & nullement à celle du Commissaire de famille, qui ordinairement ne est pas Sujet du Roy.* = Et desinens = *La Reforme des Recolets est donc le ouvrage de nos Rois de la Race de Bourbon. Ces Religieux ont dans tout les temps signalé leur connoissance par un attachement inviolable à la Sacrée personne & aux interets de leurs Majestés. Ceux d'aujourd'hui ne cedent en rien à la Religion de leurs Peres. C'est pourquoi ils ont recours à la protection de sa Majesté, la suppliant tres humblement de vouloir bien confirmer par un Arrest ceux des Rois ses Predecesseurs en faveur de leur Reforme.*

3. In eodem Archivio reperiuntur plura transumpta Patentarium, quibus à Reverendissimis Maria Rhini, Petro Sormano, & Bonaventura Poerio deputati fuerunt Commissarij Visitatores super varias tam Observantium, quam Recollectorum Galliæ Provincias.

4. Variæ litteræ Provincialium, & aliorum Galliæ Patrum, qui ad citatos Reverendissimos pro gubernio Provinciarum recursum faciebant; & inter illas adest una Epistola data Cameraci 23. Octobris 1684. ad Reverendissimum Sormanum scripta à R. P. Le Fevre, tunc temporis Provinciali Provinciæ Recollectorum S. Dionysii, in qua habetur = *Congregationis Generalis citatorias litteras excepti; singulis Provinciae Conventibus sine mora promulgabo* = adest etiam Epistola Reverendissimi Matthæi à S. Stephano directa omnibus Patribus totius Nationis Gallicæ, qua eis prohibet, ne ullus Romam accedat absque sua expressa licentia, & consensu proprii Provincialis.

Tandem ibidem reperitur supplex libellus, Typis editus, & præsentatus Vallisoleti Patribus Capituli Generalis anni 1740. nomine Magnæ Aquitaniæ Provinciæ, in quo conqueritur dicta Provincia se à septem supra centum annis Diffinitoriatum Generalem assecutam non fuisse, licet sola usque nunc agnoverit Comissarium Generalem Familiæ; & addit quod tres aliæ Magnæ Galliarum Provinciæ inter sua Privilegia quibus frui gloriantur, independentiam omnimodam à Commissario Cismontano annumerant.

In quorum fidem, &c. Romæ 27. Decembris 1743. Fr. Paulus Beauchamps Secretarius Generalis Curiae Discalceatorum, & Recollectorum.

Similiter in Archivio Aracælitano plura reperiuntur eadem in dependentiam probantia tempore Reverend. à S. Laurentio & à Pareta.

Ego infra scriptus Archivij Generalis Ordinis Custos testor in ipso inter cætera reperiri plures litteras scriptas, & missas ad Reverendissimos PP. Laurentium à S. Laurentio, & Marthæum à Parenta jam Ministros Generales Ordinis à variis Patribus Provincialibus Observantium, & Recollectorum Galliæ, quibus litteris postulant Commissarios Visitatores pro celebratione Capitulorum Provincialium; necnon alia exponunt negotia ad gubernium earumdem Provinciarum spectantia. In quorum fidem hanc propria manu scripsi, & subscripsi hac die 17. Decembris 1743. ego Fr. Antonius Maria à Mediolano Archivij Generalis Ordinis Custos.

Nos infra scripti attestamur iis omnibus, quorum interest, Provincias nostras Recollectorum semper fuisse immediatè subjectas soli Ministro Generali Ordinis S. P. N. S. Francisci, & nunquam ulli Commissario Generali cujuscumque suæ Familiæ; & immediatam illam dependentiam à solo Ministro Generali tuemur, ut potè innixam Summorum Pontificum Constitutionibus, Regum Franciæ Edictis, & praxi continua, nec interrupta. In cuius fidem subsignavimus, & apposuimus sigillum majus Provinciæ in Conventu Portus Ludovici hac die 20. Octobris anni 1733. Fr. Gratianus Raord Minister Provincialis Provinciæ Recollectorum Britannicæ. Fr. Mauritius Godefroi Exprovincialis. Fr. Anastasius de Lodu Custos Custodum. Fr. Maria Lorentinus de Lesguen Diffinitor. Fr. Angelus Maria Le Cam antiquus Sacræ Theologiæ Lector & Diffinitor. F. Jacobus Abgrall Diffinitor.

Ego infra scriptus Secundò Minister Provincialis Fratrum Minorum Recollectorum Provinciæ S. Dionysij in Francia testor nullum de Observantia Patrem, nisi Generalem, exercuisse unquam in nos actum jurisdictionis, nec debere juxta fundamentalem Recollectionis nostræ Bullam Clementis VIII. datam Romæ 26. Martij 1601., Diplomate Regio firmatam, & Supremis Senatibus totius Regni inscriptam, &c. Datum in Conventu nostro Regio Versaliensi 22. Novembris 1733. Fr. Julianus Guesdron.

Ad sunt similes attestations aliorum Provincialium.

In nomine Domini, Amen = Extractum ex Actibus Capituli Provincialis FF. Minorum Recollectorum Provinciæ S. Dionysij in Gallia, celebrati in Regio Versaliensi Conventu die 1. Decembris 1743.

Diffinitorum, & Discretorum Provinciæ, omnibus unanimiter consentientibus, declarat, ac de novo decernit velle manuteneri in possessione immemorabili, qua gaudent omnes nostræ Recolle-

cto-

Num. 12.  
Attestatio missa  
anno 1733. à  
Diffinitorio Re-  
collectorum Bri-  
tannicæ.

Alia Provincia-  
lis Provinciae S.  
Dionysij.

Num. 13.  
Decretum Diffi-  
nitorij, & Dis-  
cretorij Provin-  
ciae S. Dionysij,  
contra prætenso-  
rem Reverendissimi Torre.

ctorum Galliae Provinciæ conformiter ad Bullam Clementis VIII., ad Decreta suæ Majestatis, ad Statuta edita, & approbata pro universa Natione, & præsertim ad Municipalia nostræ Provinciæ in Parlamento placetata anno 1715., dependendi videlicet immediatè à solo Reverendissimo Patri totius Ordinis S. Francisci Ministro Generali, ac nullo modo recognoscendi autoritatem Reverendissimi Patris Commissarij Familiæ. Et approbamus quidquid usque nunc fecit, & in futurum faciet R. A. P. Marcus Antonius Gravois Sacræ Theologiæ Lector, Excustos, Exprocurator Generalis, & actualis Diffinitor Generalis Ordinis, quem rogamus ut in hoc negotio Procuratoris nostri munus exerceat.

Sic terminata est præsens sessio, in quorum fidem omnes subscripti simus = Fr. Cherubinus Dumas Commissarius Visitator = Fr. Blasius Desbornes Minister Provincialis = Fr. Edmus Villemfens Ex-Vicarius Provincialis = Fr. Candidus Chalippe Provinciæ Pater, & Custos = Fr. Joannes Franciscus Alixand Diffinit. = Fr. Gerius le Marie Diffinitor = Fr. Policarpus Motte Diffinitor = Fr. Benedictus Ferraris Diffinitor.

Eodem fere modo scribunt Provinciales, & Patres aliarum Provinciarum, videlicet.

Ex Provincia Britaniæ = R. P. Stephanus le Goff Provincialis, & R. P. Mauritius Godefroy pro tertia vice Ex-Provincialis.

Ex Provincia S. Andrae in Belgio = R. P. Bruno Devaulx Provincialis = R. A. P. Gildardus Duflos Ex-Procurator Generalis, & R. P. Laetantius Gorlier, pro tertia vice Ex-Provincialis.

Ex Provincia S. Bernardini : R. P. Gelasius Mottet, qui fuit ter Provincialis ; R. P. Marcus Antonius Aubert Ex-Provincialis, & Patres Renatus Bilhon, & Cherubinus Dumas ambo Diffinitores, & Ex-Custodes, qui etiam conqueruntur, quod P. Riper, multa nomine Diffinitorij Provinciæ agebat, ab ipso Diffinitorio omnino ignota.

Ex Provincia Immaculatæ Conceptionis = R. P. Honoratus Chastillon Provincialis.

Ex Provincia S. Mariæ Magdalena = R. P. Dominicus Leucureuil Provincialis : R. P. Eliseus Riollan, qui fuit ter Provincialis, & est actualis Custos. R. P. Benignus Hubert Ex-Provincialis.

Ex Provincia Lugdunensi, seu S. Francisci = R. P. Justinus Chambon Provincialis ; & R. P. Alexander de la Forge pro secunda vice Ex-Provincialis.

Ex Provincia SS. Sacramenti = R. P. Anselmus Vecy Provincialis, & R. P. Martinus Beynier Ex-Provincialis.

Ex

Ex Provincia Sancti Antonij in Arthesia = R. P. Antonius Hemart,  
Provincialis ; & R. P. Aubertus Hazard Ex-Provincialis.  
Ex Provincia Sancti Nicolai in Lotharingia = R. P. Placidus Tro-  
tyanne Provincialis.

Num. 14.  
Prohibet Sum-  
mus Pontifex ne  
Recollecti ad Ob-  
servantes tran-  
seant sine spe-  
ciali Sanctæ Se-  
dis licentia, sub  
pœnis, &c.

Urbanus PP. VIII. In Cathedra Principis Apostolorum.  
Nos prosperum Fratrum Reformatorum, seu Recollectorum hu-  
jusmodi statum, fœlicemque directionem sinceris desiderantes affe-  
ctibus .... de Ven. FF. Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis  
Regularium Præpositorum Consilio, litteris Gregorij, & Clementis  
Prædecessorum prædictorum inhærendo, Apostolica auctoritate  
tenore præsentium decernimus, & declaramus Fratres Minores de  
Observantia S. Francisci de familia nuncupatos ad Fratres Strictio-  
ris Observantiae Reformatos, seu Recollectos Galliae ejusdem Ordini-  
nis translatos, post annum in eadem Strictiori Observantia comple-  
tum, non posse amplius ad familiam redire, sed & alios quoscum-  
que professos inter Reformatos nullo umquam tempore transire  
posse ad Familiam, nec licere dilectis filiis Provincialibus, aut aliis  
Superioribus quemquam illorum absque Sedis Apostolicæ benepla-  
cito redeuntem, aut transeuntem recipere; & qui alias redierint,  
aut transferint, etiamsi de Superiorum suorum Regularium licentia  
hoc fecerint, tamquam sui Ordinis desertores, atque Apostatas  
esse puniendos; & recipientes, pœnam privationis officiorum in  
eius Ordinis Statutis à Sede Apostolica confirmatis contentam ip-  
so facto incurrere; sicque & non aliter... judicari & definiri debe-  
re; ac irritum & inane, si secus, &c. non obstantibus Concordia  
prædicta, ac erectione Custodiarum in Provincias, aliisque omni-  
bus, &c. Dat. Romæ 5. Novembris 1626.

Num. 15.  
Recollecti Gal-  
lie gubernari de-  
bent juxta Bul-  
las Clement. VIII  
Pauli V. Grego-  
rij XV. Urbani  
VIII. & per sua  
nationalia, &  
municipalia Sta-  
tuta,

Compilatio Statutorum Matriti 1734. pag. 434. Provinciæ autem  
Recollectorum ad Gallicanam Nationem pertinentes gubernari de-  
bent iuxta Constitutiones Apostolicas pro ipsis editas à Clemen-  
te VIII. Paulo V. Gregorio XV. Urbano VIII. & aliis Summis  
Pontificibus; necnon & per sua propria Nationalia, & Munici-  
palia Statuta, quæ per præsentem Compilationem nolumus abro-  
gari, nec immutari, sed in suo robore permanere.